

adepta est sibi, ut à modo ac medio *medicina* diceretur. A *modus* item *modestia* i.e. nil. aliud quam virtus, si loquaris propriè, Virtus $\epsilon\iota\ \mu\epsilon\sigma\acute{o}\tau\eta\tau\eta$ apud *Arist.* *Plautus* conjungit virtutis modum, *Most. a. 1. Sc. 2.* Quem quatenus tenere, aut in extremum alterum propendere rectè possis, vid. *Ethici*, ex iis *Rambam. Canon. 2.* ad eum *Gentius.*

§. 5. Hinc & *mediare*, à quo *mediator*, ut à *servatum servator*, idem ac intermedium esse, vel termino quasi communi duo extrema conjungere. *Medius* quoque pro *mediocri* ponitur. *Vellejus lib. 2. c. 29.* de Pompejo : *Innocentia eximius, sanctitate præcipuus, eloquentia medius.* Item *Liv. lib. 9.* medio responso pto dubio seu *ancipiti* dixit. *Medii* etiam dicuntur *neutri*, qui inter lites certantium partium *neutrales*, quod cum neutra parte faciant. Sed *medius* substantivè acceptum ac idem cum *Mediator* plus importat. Nam *Mediator*, ex usu tam *Ecclesiastico* quam *vulgari*, potissimum *Pacificatorem* notat, sive eum qui dissidentes animis reducit in concordiam: Sive, ut *Flacius Cl. h. v.* optimè : qui inter duos, parum inter se congruentes, aut etiam invicem sibi hostes, *medius*; & utriusque nomine cum altero agit, promovens aliquam conciliationem, conjunctionem, ac veluti contractum inter eos, qui que tam diu apud utramque partem alterius nomine laborat, donec eos in aliquem consensum transactionem & denique pactionem deducat.

§. 6. A quo perperam ab it *Ravanellus Biblioth. h. v.* qui generatim inter ventu inter plures, quasi è *Gal. 3. 20.* definit. ac modò solius officio *Internuncii*; modò, officio confirmantis in unione, includit; prius *Mosis*, posterius *Christi*, respectu Angelorum electorum quos confirmet in unione cum Deo, probare conatus; & cum *Socinianis* cornu inflans. *Socinus* enim de *C. Servatore P. 1. c. 7.* contra *Covetum* ringitur, *Mediatoris* vocem in genere nil nisi *Internuncium* inter plures dicere. Ac ad *Bezam* in d. l. *Gal. 3. 20.* provocat. Objectum verò sibi usum loquendi erroris accusat. Cum vicissim *Grotius de Satisfact. l. c. 8.*